



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Tertiam Partem Summæ Theologiæ. Cum Commentariis  
Reuerendiss. D. Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Sixti, Et Opvscvlis  
Eivsdem In tres Tomos distinctis

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

6. De Satisfactione pœnitentiali.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72797](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72797)

menti, a Deo procedit simpliciter & absolute. Et quia sacramentum secundum se est fructuosum, ideo a Deo procedit ut sacramentum fructuosum fortiturum effectum, quoniam suscipiens est dispositus: Et licet tempus dispositionis ex parte recipientis arctetur ad tunc: tamen ex diuina largitate extensum intelligimus ad tunc, vel postea, quando erit dispositus: ut in Baptismo contingit, ideo non oportet sacramentum repetere, ut a Deo actore exerceatur.

Ad secundum dicitur, quod in contritione duo sunt: scilicet re compensare, & charitas informans illud velle. Et respectu quidem sacramenti poenitentiae absolute, sufficit contritio: quo ad primum, respectu autem eiusdem fructuosi in ipsius presentia, concurrat contritio et quo ad secundum: & hoc solum deest in proposito. Unde nulla pars sacramenti ut necessaria est ad sacramentum, deficit: quamuis deficiat ut necessaria ad sacramenti effectum nunc.

Ad tertium dicitur, quod quia actus morales ex se obiecto iudicantur, ille solus dimidiat confessionem, qui ex intentione integritatem uiolat; & propterea quum in proposito supponatur, confessionem esse ex intentione integram, licet materialiter non sit integra, non sequitur, confessionem esse iterandam. Aduerte tamen hic, quod sicut in aliis vitiis tam enormiter contingit errare materialiter, ut actus redeat ad naturam formalem sui generis (ut patet in detractione, contumelia, & huiusmodi: contingit, nam tam grauitur absque intentione detrahendi detrahere famam proximi, ut ipsa magna lesio incurfa minus estimata, detrahendi actum in detractionis naturam reducat) ita potest contingere quod ex nulla aut tam crassa & supina conscientia discussione, aliquorum peccatorum mortalium confessio omittitur, ut materialis violatio integritatis in formalem reducat, tanquam dimidiationis incurfus ille, qui pro nihilo estimatus est, intentus fuerit. Unde tales ad reiterandam confessionem inducendi sunt. In quorum numero uidentur esse illi, qui cum sola uelleitate abstinendi a peccato confitentur & absoluntur, tacentes huiusmodi peccatum & impedimentum, quod etiam muliercule nouerunt, & consueuerunt explicare.

Ad quartum dicitur proportionaliter sicut ad primum, quod licet sacrilege, sacramentum tamen conjunctionis fructuosae secundum se passionis Christi ad poenitentem exerceatur: cuius fructus etsi non tunc, qui tamen erit dispositus poenitens, percipietur, unde non fuit sacramentum vanum, quod Deus adeo acceptat, ut non exacta repetitione sacramentalem gratiam conferat, quam primum poenitens fuerit dispositus, quam sacramentum preiens erat daturus, si tunc poenitens fuisset dispositus.

### TRACTATUS SEXTUS, De satisfactione poenitentiali in duas Questiones diuisus.

- 1 Num poenitentialis satisfactio de alias debito fieri possit.
- 2 Num pro contrito & confessio peccato imposita satisfactio si exoluitur in peccato mortali, sit iteranda.

#### QUESTIO I.

An satisfactio poenitentialis possit esse de alias debito.

**C**IRCA satisfactionem poenitentialem quaeritur primo, an possit esse de alias debito. Et uidetur, quod non, primo ex ipsa ratione satisfactio-

nis. nam satisfacere est facere equale debito; non fieret autem equalitas, si alias, id quod sit esse debitum: minus enim fieret quam deberetur. Et confirmatur hoc ex simili in reliquis satisfactioibus.

Secundo, quia ritus ecclesiae hoc habet ut poenitentias iniungat non de ieiunijs, & orationibus, quae sunt in precepto,

Tertio, quia secundum Anselmum in libro Cur Deus homo, per illa sit satisfactio, quae non possent ab homine exigi nisi peccasset: sed precepta possent ab homine exigi, etiam si non peccasset: ergo de preceptis non potest fieri satisfactio poenitentialis.

In oppositum est, quod in casu quo martyrium est in precepto, satisfactio per illud fit: non derogat ergo satisfactio poenitentiali esse alias debitum.

Ad huius euidentiam sciendum est plures tenuisse doctores partem negatiuam quaestionis propter argumenta inducta. Et quoniam pars affirmatiua mihi uidetur uera, ideo eius ueritas monstranda est, assumendo pro fundamentum, quod uerum & idem opus a diuersis directum seu assumptum principijs, multiplex est efficacia in his, quae sunt iustitiae mixtae, qualis est inter hominem & Deum. Sub qua consistat comprehendi satisfactionem poenitentialem; quoniam nulla nostra satisfactio est sufficiens in aequiualentiam exactam a pura iustitia: sed secundum diuinam acceptationem. probatur ergo primo interitum sic, eadem pena si a minori charitate procedit, est minus satisfactoria, & a maiore charitate procedens est magis satisfactoria: ergo pena alias debita, si procedat a maiore charitate, uel a uirtute clauium, erit plus satisfactoria, quam ipsa secundum se, ut erat alias debita: ergo pena alias debita potest assumi in satisfactionem poenitentialem. Assumptum est notum, & approbatum de excellentia satisfactionis in passione Christi propter excellentissimam illius charitatem, a qua procedebat. Consequentia autem est per se euidentis, & tanto euidentior, quanto in satisfactione poenitentiali plus pensatur quantitas ex diuina acceptatione, quam in substantiam operis seu poenae, quam pura iustitia consideraret.

Præterea unum & idem opus cum hoc quod est alias debitum Deo, est meritorium de condigno aeternae uitae: ergo potest esse etiam satisfactorium poenae pro peccatis debita. Assumptum patet: quia honorando parentes (quod est opus preceptum) mereor si ex charitate illos honoro, uitam aeternam de condigno. Consequentia probatur, ex eo quod ratio alias debiti non minus officit ad constituendum ius futurae mercedis, quam ad constituendum ius recompensandi preteritum debitum: opus siquidem alias debitum, si potest cum hoc efficere, ut exigente iustitia merces sibi debeatur tam excellens, qualis est aeterna felicitas, multo magis sufficiens est, ut constituat ius soluti pretij debiti tam minimi, quale est temporalis poena. Et confirmatur: quia tribus existentijs uirtutibus, scilicet charitate, gratificatione & poenitentia, & actus alias debitus potest ex charitate efficaciam meritoriam, & gratificatione efficaciam gratiarum actionis sortiri: cur non assumptus a poenitentia uim satisfactoria sortiatur? nunquid diuina acceptatio tam larga in merito & gratificatione, manca est in satisfactione? an forte plus iustitiae locum habet in amico circa solutionem poenae, quam circa gratiarum actionem, aut meritorium?

Præterea, ad particularia descendendo, & discurrendo per consilia, quando sunt in precepto, idem apparet: in casu enim quo tenetur quis elemosinam facere, cur non potest poenitens ordinare illam pro

pro satisfactione poenitentiali? & similiter in casu quo praeberet alteram maxillam, vel angariari, vel ejurare, aut sitire, penuriam pati huiusmodi aliquid esset in praeepto, quis sapiens prohibeat poenitentem offerre haec Deo in satisfactionem, aut negat solui per haec poenam debitam pro peccatis? an torde huiusmodi opera debita ex praeepto, possunt ab iplo quidem poenite assumi in satisfactionem poenitentialem, sed per coeessoris ministerium non possunt haec in poenitentiam dari. Hoc enim ecclesie clauibus est derogare, maioremque virtutem humanae intentioni, quam Christi clauibus tribuere: tanquam humana intentio, quaedam possit pro satisfactione assumere, ad que claus non extendunt, quod a fidelium estimatione longe sit. In cuius signum laudabilis multorum coeessorum consuetudo antiqua, absolendo poenitentem dicit, quicquid boni feceris, & facere intendis, & mala quae sustines, & sustinebis, sint tibi in remissionem peccatorum, &c. & non dicit, Quicquid supererogationis boni feceris, aut mali, iustinebis.

Ad primum ergo in oppositum dicitur, quod aliud est loqui de satisfactione infra limites purae iustitiae, & aliud est loqui de satisfactione sapiente magis naturam amicitiae quam iustitiae: argumentum enim procedit de satisfactione infra limites iustitiae conclusa, de qua non est hic sermo. Vnde & poenitentia posita est a Diuo Thoma differens a iustitia vindictiva: quia illa ius attendit, haec autem voluntatem offensi & offendentis, quod amicitiae magis est, quam iustitiae.

Ad secundum dicitur, quia Ecclesiasticus minister homo est, (qui non intuetur cor, quem latet poenitentis charitas.) ideo prouide ad tutiorem partem iudicium suum declinat, & id quod est amicitiae preteriens, ad id quod est iustitiae se conuertit. Et quoniam ex parte iustitiae satisfactio habet, quod sit de non alias debito, ideo confessores non imponunt ieiunia alias debita, sed opera ad quae alias poenitens non tenetur: cui quo stat, quod si opera, ad quae alias ponentes tenentur, imponeret in satisfactionem peccatorum, prodesset saltem virtute clauium poenitenti satisfactio huiusmodi ex charitate adimplera.

Ad tertium dicitur, quod auctoritas non videtur adduci ad propositum, quoniam ex illa nihil aliud habetur, nisi quod satisfactio sit per poenitentiam: haec enim sunt quae si homo non possit, ab eo non exigentur. De hoc enim nulla est questio: sed an huiusmodi poenitentia sit satisfactoria, si sint alias debita, de quo nihil dicit auctoritas allegata. Veruntamen scito, quod opus hoc, quod est honorare parentes (quod etiam si homo non peccasset, praeeptum fuisset) si in presenti statu exercendum cum poenitentia ali qua occurrat, illud vnum opus praeeptum, quatenus est pietatis esset meritorium, ut est a charitate, & gratiarum actio Deo, ut est a superexcellenti gratitudine vocatur religio, & esset satisfactoria, quatenus esset a poenitentia, & simile est in aliis. Vnde habes, quod etiam per ea quae si homo non peccasset, essent exacta. alio tamen modo post peccatum exercita satisfactio fit.

### QVAESTIO II.

An pro contrito & confessio peccato imposta satisfactio, si exoluatur id peccato mortali, sit iteranda.

Secundo circa satisfactionem poenitentialem quaeritur, an pro contrito & confessio peccato imposta satisfactio, si exoluatur in peccato mortali, sit iteranda. Videtur enim quod non:

**A** Primo ex ipsa ratione iustitiae. Ex quo enim si plenam iustitiam poenitentiam semel imposita est poena temporalis pro peccato, de quo verè poenituit, nunquam pro illo debebitur, nisi poena temporalis: & illa soluta nulla. Et confirmatur hoc in actibus humanis. Si enim alicui culpe praecipue correspondeat secundum legem abscissio manus, non debet secundum iustitiam manu abscissa exigi maior poenitentio: ergo a simili si quis remanet debitor praecipue temporalis poenae (puta quatuor dierum) non debet per diuinam iustitiam illa soluta plus exigi.

Preterea si huiusmodi satisfactio extra charitatem dicatur non sufficere, sententia nimis dura & occasio peccandi videtur; quoniam poenitens quum hoc audierit, post lapsum in peccatum mortale non prosequetur executionem poenitentiae, ut pote inutiliter, & sic incidet in nouum peccatum mortale transgrediendo praeeptum ecclesie & vicarij Dei in illo actu. Et hinc formatur, inquit Scotus talis ratio, Si post lapsum non exequatur quis satisfactionem pristina sibi impositam, peccat mortaliter: ergo si exequatur, bene facit: quia actum obedientiae facit: sed non facit actum obedientiae nisi in quantum illud est sibi impositum, tanquam pars satisfactionis. ergo, &c.

Preterea, sequitur aliud inconueniens, scilicet quod huiusmodi peccator si damnaretur, eternaliter puniretur pro peccatis semel dimissis: ac per hoc dimissa peccata redirent simpliciter, quia redirent quo ad poenam aeternam. Et ulterius sequitur, quod ita eternaliter puniretur quis pro peccatis dimissis, sicut pro non dimissis.

In oppositum est, quod satisfactio mortua non est satisfactio, sicut nec homo mortuus est homo. Haec questio sub iudice ab omnibus communiter videtur derelicta, quum ipse Scotus, qui partem negatiuam tenet (cuius sunt argumenta inducta) non audeat eam asserere: sed dicat se absque praeeudicio loqui in 1. q. dist. 15. 4. sentent. & Diuus Thom. varia videatur sentire; Durandus saluat ad vtranque partem, &c. Quocirca ut radicales rationes examinentur, & rationabilior pars eligatur, hanc mouimus. Et quoniam rectum, est iudex sui & obliqui, hinc incipiendum reor, quod per omnes nulla nostra poenitentialis satisfactio apud Deum est sufficiens sine charitate: quia nulla est sufficiens secundum equivalenciam simpliciter, sed quaeunque est sufficiens, ex diuina acceptatione est sufficiens, acceptabile autem charitas reddit. Ex hoc communi principio oportet doctrinam procedere per se, absque diuersione ad ea quae sunt per accidens, aut extranea: alioquin doctrina magis erit voluntariu dogma, quam vera doctrina. Ex hoc autem principio manifeste deducitur, nullam satisfactionem sufficere nisi charitas reddat eam acceptabilem: nec oportet in hac deductione laborare: sed tantummodo subsumere, sed haec est satisfactio: ergo. Vnde quae reliqua ista de qua quaeritur satisfactio, sit verè satisfactio, pro peccati poena, & nulla habeat conditionem diminuentem rationem satisfactionis, mirum, ut non dicam voluntarium, videtur eximere huiusmodi satisfactionem a communi regula satisfaciendi: aut enim oportet negare illud vniuersale ac commune principium, aut illo concessio oportet vniuersaliter dicere, nullam satisfactionem poenitentialem sufficere nisi secundum acceptationem, quae extra charitatem non inuenitur. Et confirmatur ex causa simili, ponendo hominem post contritionem suorum peccatorum, & aliquot dies poenitentiae,

**E**

tentia, citra tamen confessionem, relapsus & nihilominus prosequi actus poenitentiales pro peccatis pristinis. Hoc enim sic se habente, queratur an huiusmodi actus poenitentiales post relapsus sint satisfactorii, an non. Si dicitur quod sunt satisfactorii, sequitur quod non oportet recurrere ad determinationem poenae factam per punitivam iustitiam clauae non errante, &c. quum in hoc casu huiusmodi determinatio per clauae non interuenit: & ultra hoc videtur negari communis Doctorum sententia. Si vero non sunt satisfactorii, quum sola temporalis poena pro pristinis peccatis in utroque casu remanserit soluenda, nulla est ratio, quare solutio vnius sit extra charitatem valeat, & alterius non; si iniustum est plus exigere in primo casu, iniustum quoque est plus exigere in secundo, quoniam secundum diuinam iustitiam utrobique debitum solius poenae temporalis remanet. Et si illa soluitur extra charitatem, nullus restat poenae debitum; si autem charitas exigitur ad hoc, ut solutio sit sufficiens, neutrius solutio aliquid valet. Concludendum igitur ex communi hoc principio videtur, quod nulla satisfactio poenitentialis est sufficiens nisi secundum diuinam acceptationem, quam constat (ut saepe dictum est) extra charitatem non inueniri. Et confirmatur hoc ex ipso modo remissionis peccatorum. fit enim remissio mortalis peccati per modum amicabilem reconciliationis, ex hoc enim modo fit, ut peccator ex proprio demerito hostiliter puniendus, amicabiliter corripendus restet; hoc enim auferri reatum poenae aeternae, & transire in reatum poenae temporalis. Ex hoc autem quod peccator de hostiliter puniendus, transit in amicabiliter puniendus hic, vel in purgatorio, sequitur quod nisi amicabiliter poena exoluatur, nunquam soluetur; quia quod amice deo nunquam exoluit nisi amice tribuam.

Ex eodem quoque principio deducitur, exceptionem aliam de satisfactionibus relinquentibus post se effectum, non esse vsquequaque veram; sed ex famosa apparentia humanae compassionis processisse videtur distinctio inter satisfactiones relinquentes post se effectum, & satisfactiones non relinquentes post se effectum; ita ut licet utraque extra charitatem factae sint mortuae, effectus tamen primarius remanens potest viuificari per subsequentem charitatem, & ideo primae non sunt reiterandae, secundae autem quia totaliter transierunt, sunt reiterandae. Favorabilis siquidem magis, quam vera videtur interpretatio haec. Nam opus satisfactorium relinquens post se effectum (puta ieiunium, vel elemosina extra charitatem) si est sic per sequentem charitatem viuificabile, vel hoc habet ex sacramentalitate sola, & hoc non: quia sic etiam conueniret satisfactionibus non relinquentibus effectum, quoniam ipsae etiam sunt sacramentales. Vel hoc habet ex relicto effectu solo: & hoc non: quia hoc conueniret similibus satisfactionibus factis ante contritionem & confessionem, quod omnes negamus, dicentes cum Augustino, quod peccator non est dignus etiam pane quo vescitur: & cum Apostolo, Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, &c. Vel hoc habet ex utroque simul, scilicet sacramentalitate & effectu relicto & hoc non: tum quia ad hoc, quod opus sacramentale sortiatur effectum per sequentem charitatem, non requiritur relicto effectu, ut de confessione in formi patet. Tum quia huiusmodi relicto effectu non est sacramentalis, quoniam non est effectus operis satisfactorii, ut est sacramentale, aut morale, sed secundum naturam

operis: afflictio enim carnis non est effectus ieiunii, ut est actus moralis, aut sacramentalis, sed ut est subtractio cibi. Et similiter diminutio boni exterioris non est effectus elemosynae, nisi secundum naturam operis; puta quia subtrahit illud a se: unde effectus iste est valde remorus a sacramentalitate. Tum quia vacillans, aut claudicans inueniretur hoc verum; nam non esset verum vniuersaliter, sed in solo illo casu quo relictus effectus duraret vsque ad aduentum nouae charitatis, ut sic inuentus possit a charitate viuificari.

Nam si non perduraret, non posset per illam viuificari, plusquam transitoria quae praeterit oratio. & sic si quis extra charitatem ieiuniorum iniunctam poenitentiam peregerit, & debilitatis seu afflictionis derelictus effectus non duraret, post duos menses (qui interim poenitens bene se confortauit) & noua charitas non fuisset recuperata vsque ad quartum mensem, iteranda essent praedicta ieiunia.

Quia igitur neutra via solide fundata videtur, occurrit media via incedendum, dicendo tria. Primum est, quod omnis poenitentialis satisfactio a confessoris imposta etiam si extra charitatem fiat, sufficiens est quo ad forum militaris ecclesiae. Probat hoc: quia satisfactio huiusmodi est sacramentalis: est enim tertia pars sacramenti, ac per hoc satisfactio ecclesiae, si est informis, sicut confessio informis. Et hinc oritur, ut non solum ieiunia & elemosinas, verum etiam orationes non sit solita ecclesiae, iterum imponere poenitentibus, qui eas semel soluerunt, quamuis iuniores nonnulli trepidantes timore ubi non est timor, & adiuuenerint quandam momentaneam satisfactiunculam pro poenitentia sacramentali, & deinde arbitrantur, quasi condignam poenitentiam, quae aut non est poenitentia sacramentalis, aut si est, vanum non dicitur eorum timorem. Nec hoc facere edocti a sancta catholica ecclesia, & propterea reprehensione magis dignum est, quam vsu. Secundum est, quod quaecumque sacramentalis satisfactio si extra charitatem fit, nihil tunc valet ad expiationem poenae pro peccato debita apud Deum. Hoc ex supra dictis satis probatum est, & a Magistro sententia multis autoritatibus in decima quinta distinctio 4. capit. firmatur. Tertium est, quod omnis satisfactio sacramentalis si extra charitatem fit, ualere incipit quando recuperata charitate poenitens ad cor redibit, &c. Probat hoc ex eo quod regulariter opus sacramentale uipote opus Dei recedente fictione sortiatur effectum (ut de Baptismo, confessione, & extrema unctione dictum est) satisfactio autem sacramentalis pars sacramenti est, uinique habet ex clauibus; ergo, si est informis sortiatur postea recedente fictione effectum.

An autem totum effectum sortiatur postea quae sortita fuisset si in charitate peracta esset, non facile dixerim. Videtur tamen mihi, quod non totum satisfactionis effectum sortiatur postea, quia sacramentalis satisfactio plus se tenet ex parte humani operis, quam ex parte diuini, hoc est sacramenti. Cuius oppositum accidit in aliis, ut patet in Baptismo, in quo totum opus est Dei, & hominis est solum ministerium; in satisfactione uero sacramentali opus est praecipue poenitentis, & tam parum habet sacramenti, ut multi Doctores negant ipsam esse partem sacramenti. Et propterea rationabile uidetur, quod satisfactio sacramentalis informis aliquem effectum postea sortiatur ex illa parte, quia sacramentalis est: non totum autem ex illa praecipua sui parte, qua humana opus mortuum habuit.

Ad primum ergo in oppositum dicitur, quod obiectio confecta est ex lana & lino, quoniam orsa est ex amicitia, & contra est ex mera iustitia. Supponit enim penitentem secundum meram iustitiam debere poenam solummodo pati temporalem, & cum hoc reconciliatum esse ex gratia, quasi post reconciliationem satisfactio sit sufficiens secundum æquivalentiam simpliciter, & non secundum acceptationem. Et quoniam satisfactio secundum æquivalentiam simpliciter, non consonat satisfactioni amabili & possibili inter hominem & Deum: ideo, ut prædictum est, repetitur dicendo satisfactionem impositam temporalem pro pena peccati siue imposita sit a sacerdote, siue non, esse amicabiliter solvendam: & si amicabiliter non soluitur, nunquam soluitur. Et propterea que de mera iustitia & humanis punitionibus adducuntur, extra propositum sunt: quoniam de vindictiva loquuntur iustitia, in qua attenditur æqualitas rei ad rem: nos autem de satisfactione penitentiali loquimur, in qua attenditur æqualitas secundum acceptationem Dei offensi.

Ad secundum dicitur, quod sententia hæc non est dura, sed dulcedine amicitie diuine plena, nec est occasio peccandi nisi forte accepta. Et ad formam rationis dicitur primo, ipsam ualde errare: ut patet applicando eam ad peccatorem communicatum in paschate, dicendo, si non communicat peccat nouo peccato: ergo si communicat, bene facit obediendo. Quod patet esse ridiculum.

Et quia multiplicare inconuenientia, non est solue, dicitur secundo, quod huiusmodi rationi in quacunque materia fiat, respondendum est sic: Si non exequitur peccat, admittitur: ergo si exequitur condigne, bene facit: alioquin negetur sequela: quoniam & communicando & non communicando in paschate peccat nouo peccato indignus. Dicitur tertio quantum ad materiam que tangitur de nouo peccato mortali omittentis penitentiam iniunctam a confessore pro mortalibus, quod nulla ratione apparet omissionem huiusmodi esse peccatum mortale, ut patet discurrendo per omnia concurrentia ad huiusmodi actum: iniuncta siquidem a confessore pro mortalibus satisfactio, quantum habet capita, primum est, quod est iudicata & præcepta a Christi uicario; & hinc satisfactio sit actus iustitiæ cuiusdam & obedientiæ: & hinc satisfactionis omisio non habet peccati mortalis rationem, si desit contemptus, qui contrariatur præcepto: & abiiceret gratiam iudicii facti, secundum est ex parte penitentis, quod est actus poenitentie & charitatis: & hinc nulla est in omissione ratio peccati mortalis, nisi actus iste iustitiæ, poenitentia & charitatis sit necessarius ad salutem. Quod constat esse falsum: quia actus iste non est necessarius ad dilectionem Dei, aut sui ipsius, aut proximi: quoniam uersatur circa ea, que sunt ad finem scilicet solutionem poenæ temporalis: quam potest poenitens reseruare sibi in purgatorio absque mortali offensa Dei: tertium est ex parte finis, quod est expiatiua poenæ pro peccato debita: & hinc, ut nunc monstratum est, non habet omisio, quod sit mortale peccatum, sed quod sit reseruatio luende poenæ. Quartum est, quod est pars sacramenti: & hinc, quod omisio non constituat sacrilegium, ex eo apparet, quod ecclesia utitur poenitentia sacramento quandoque absque hac tertia parte (ut patet de penitentibus in fine, quibus non imponitur secundum canones satisfactio) & ex eo quod si quis ualido ante con-

sessionem satisfecisset, non esset imponenda satisfactio aliqua a confessore. Nec desunt dicentes posse penitentem male paratum ad suscipiendam satisfactionem in hac uita, absolui reseruatam satisfactionem in purgatorio: ex his enim omnibus habetur, quod omisio huius partis sacramenti non est peccatum mortale ex suo genere. Unde quoniam satisfactio a confessore non imponatur, nisi ut descripta est, & ut sic illius omisio non habeat ex suo genere rationem peccati mortalis, concludendum est peccare quidem omittentem iniunctam satisfactionem (quoniam agat præter obedientiam, & alias uirtutes) non tamen mortaliter, deficiente contemptu, quoniam nec contra obedientiam, charitatem, uel omittat.

Ad tertium dicitur, quod distinctio inter per se & per accidens euirat hæc inconuenientia: penam siquidem temporalem fieri per se eternam est inconueniens: per accidens autem eternari non inconuenit. Sic autem est in proposito: quoniam temporalis pena amice soluenda propterea ordinatur in inferno, quia nunquam amice soluitur. Unde nec propterea redeunt simpliciter dimissa peccata, nec æque punitur pro peccato dimisso & pro non dimisso; si enim redirent simpliciter deberetur per se pena eterna: & similiter peccato non dimisso deberetur per se poena aeterna. In proposito autem eternitas poenæ inuenitur per accidens, non tamen sicut in pena ueniali: ratio enim proxima aeternitatis poenæ perseverantium uenialium in inferno est aeternitatis culpe: perseverante enim culpa semper deest perseverare pena. Ratio autem eternitatis poenæ in proposito est defectus acceptabilitatis: quia si solutio poenæ nunquam est acceptabilis, quia nunquam soluitur amice.

## TRACTATUS SEPTIMVS,

De ministro sacramenti poenitentia, cuius unicum est Quæsitum.

## D QVAESTIO VNICA.

*An sacramenti poenitentia minister possit esse sacerdos absque iurisdictione.*



**I**ERCA Ministrum sacramenti poenitentia quæritur, an possit esse sacerdos absque iurisdictione. Et est ratio dubia. Tum quia confessor summi pontificis ministrat ei sacramentum poenitentia sola potestate ordinis, cum potestatem iurisdictionis super eum habere nequeat. Tum quia uidetur communiter dici, quod sola potestas ordinis sufficit ad absolendum a peccatis uenialibus. tum quia uidetur etiam communiter dici, quod potestas ordinis ex se, se extendit ad omnes absolueudos, nisi per ecclesiam essent limitata iurisdictiones.

In oppositum est decretum omnis utriusque sexus.

Ad euidentiam huius sciendum est, quod licet multa doctorum uerba sonare uideantur, sola ordinis potestatem quandoque sufficere ad hoc sacramentum, secundum tamen rei ueritatem nunquam sufficit, sed semper exigitur ultra potestatem ordinis, autoritas iurisdictionis aliquo modo. Et hoc quidem non solum per ecclesiam determinatum est, sed ex ipsa sacramenti natura, habetur: legitimus enim in Concilio fuit, quod minister huius sacramenti